dæ ſunt, ſive incompoſſibilitas fuerit ante utrumque votum emiſſum, ſive illis emiſſis ſuperveniat, & undecumque ea conſurgat. Quia rationes pro illis allatæ in utroque caſu militant.

31 Ex his deducitur, quid in ea quæſtione cenſendum ſit. An qui votum fecit nil coctum, neque panem comedendi in vigilia ſancti Laurentii, cum antea, vel poſtea vouerit ſe nil cibi præter panem in feriis ſextis comeſturum; ac deinde vigilia ſancti Laurentii incidit in feriam ſextam; ad quid teneatur? In qua quæſtione *D. Anton. 2. p. tit. 11. cap. 2. §. ultimo*, allegans *Joannem de Neapoli*, ait ſi utrumque nequeat ille implere, nec ſimul emiſerit, poſſe utrumvis ex illis eligere. At ſic diſtinguendum eſt. Si cum poſterius vouit, fuit immemor prioris voti, debet prius tantummodo ſeruare. Quia veriſimiliter prius excepiſſet, ſi illius recordaretur; & notabilis eſt error. Quòd ſi prioris meminerit nec illud excepit, tenetur ad utrumque, ſi ſine gravi periculo poteſt utrumque ſervare. Ita docent *Roſella verb. Jejunium, num. 31. Sylveſt. verbo Votum, 2. quæſt. 17. D. Anton. & Joanne de Neapoli* proximè allegati, *Azor. lib. 11. inſtit. moral. c. 20. qu. 5.* Si autem utrumque nequeat, *Roſella* dicit illum teneri ad prius. At *Sylv. & Azor.* dicunt hoc eſſe verum, quando conſtat eſſe utrumque æquale. Nam ſi alterum ſit majus, ait *Azor.* in illud commutandum eſſe votum minus, auctoritate potentis commutare. Verùm adhærendo iis, quæ diximus *num. 24. & ſequentibus*, ſic dicendum eſt. Si conſtat utrumque eſſe æquale, & incompoſſibile, poteſt vouens utrumlibet eligere. Quòd ſi alterum conſtat eſſe melius, id tenetur implere. Atque in neutro caſu tenetur voti alterius omiſſi commutationem, aut diſpenſationem petere. Si dubium ſit, utrum ſit majus, tenetur ad prius nulla poſterioris commutatione, aut diſpenſatione petita. Si vero dubium ſit, an utrumque poſſit implere, tenetur alterius, quod omittere vult, commutationem, aut diſpenſationem petere; quando non eſt certum, quod vult implere, eſſe melius aut æquale, & eſt votum poſtremò emiſſum. Nam in hoc dubio tenetur ad prius. Si verò id ſit certum, poteſt propria auctoritate alterum omittere quando adhibita ſufficienti diligentia nequit id dubium vinci. Nam in hoc caſu deficit, quod diximus *num. 26.* nempe, in hoc dubio petendam eſſe commutationem, aut diſpenſationem voti, quod eſt omittendum. Ratio eſt; quia in hoc dubio, an abſque gravi periculo ſalutis poſſit id votum impleri ſimul cum alio, non eſt licitum illud, quod non debet alteri præferri, implere; ſed potiùs eligi debet præceptum naturale conſeruandæ ſalutis, ut probabo *c. ſequenti nu. 5.* quam ob rem voti omittendi, ac in hoc caſu non obligantis, nulla eſt neceſſaria commutatio, aut diſpenſatio.

32 Ultima concluſio. Quando votum eſt incompoſſibile cum præcepto etiam Eccleſiaſtico, aut id eſt dubium, nec appoſita ſufficienti diligentia poteſt vinci, tenetur vouens id votum non implere, & nulla eſt neceſſaria commutatio, aut diſpenſatio. Ratio eſt, quia licèt ſit ſtrictiſſima obligatio implendi voti, & juris naturalis divini, id tamen contingit ſuppoſita ejus obligatione. At numquam admittitur à Deo, nec decet, ut admittatur obligatio ex voto, niſi ſuppoſita præcepti impletione. Quia obligatio voti eſt voluntaria, ſed præcepti neceſſaria. Quare cum impoſſibilitatis certitudine, aut dubio, potiùs eſt ſervandum præceptum. Quæ intelligenda ſunt, niſi materia illa promiſſa tanti eſſet honoris divini, ut meritò anteponenda ſit præcepto Eccleſiaſtico. Juxta ea quæ dicemus *cap. ſequenti numero 2.* Quando verò ſunt opiniones, dicemus *cap. ſequ. numero 2.*

CAPUT VI.

Qualiter votum rei malæ, aut ex ſe bonæ, malæ autem ob pravi finis circumſtantiam adjunctam non obliget?

SUMMARIUM.

Quando materia voti eſt mala etiam venialiter non obligat, numero 1.
Quid, quando promittitur aliquid impediens impleri præceptum Eccleſiaſticum, aut aliud: vel id eſt dubium? nu. 2.
An valeat votum contra ſuperioris præceptum? num. 3.
An votum de nimiis corporis macerationibus obliget? nu. 4.
An obliget, quando dubium eſt, an ea limites rationis excedant? Et quid, quando ſunt opiniones; num. 5.
Quid, quando dubium eſt, an materia voti ſit bona; vel mala; aut ſunt de hoc opiniones; nu. 6.
Quid de voto abſtinendi à carnibus in quacumque neceſſitate? num. 7.
Quid de voto jejunandi die Dominica? Et quando quis vovit jejunare toto menſe, an tenentur diebus Dominicis jejunare? Et quid, quando vovit jejunare vigilia alicujus ſancti, & ea incidit in Dominicam; num. 8.
Votum rei mortalis, vel venialis, cum propoſito exequendi, vel ſine illo quotuplex ſit culpa; num. 9.
An valeat votum rei bonæ potentis malum eventum habere; numero 10.
Poſt num. 10. invenies ſummaria, quæ deſiderantur.

1 PRiùs agemus, quando materia voti eſt mala; deinde autem, quando eſt bona, ſed praui finis circumſtantia adjungitur. I. concluſio ſit. Cum opus eſt illicitum, ſiue mortaliter, ſiue venialiter, non eſt legitima voti materia, ac proinde illud non obligat. Quia promiſſio eſt rei, quam quis in alterius gratiam exequi pollicetur; unde non eſt rei alteri ingratæ, qualis eſt peccatum mortale, vel veniale. Quippe promittere rem alteri ingratam, non eſt promittere, ſed comminari.

2 Hinc deducitur primò, votum rei impedientis aliud præceptum etiam Eccleſiaſticum impleri, regulariter non obligare; atque idem eſt, in dubio an impediat. Quia *cap. præcedenti numero ultimo*, probauimus in hoc dubio præferendum eſſe præceptum Eccleſiaſticum. Dixi autem *regulariter*, quia quando res illa promiſſa eſſet tanti honoris divini, ut meritò præferenda eſſet præcepto Eccleſiaſtico ejuſque obligationem in eo euentu impediret, obligabit votum. Ut ſi quis voueret peregrinationem impedientem jejunium quadrageſimæ, ſi tanti momenti eſſet, ut illi jejunio anteponi deberet; vel miniſtrare xenodochio, & tale eſſet miniſterium, ut jejunio obſtaret, obligarent hæc vota. Quia tunc nil mali continet, nec aduerſantur præcepto Eccleſiaſtico; utpote quod in eo caſu non obligat. Quando autem ſunt opiniones, aut in eo euentu id opus præferendum ſit, integrum eſt, cuicumque ex illis adhærere, dummodo probabilis ſit, etſi altera ſit probabilior.

3 Secundò deducitur, valere votum contra prohibitionem ſuperioris, etiam Pontificis emiſſum, nullo decreto irritante adjecto illi prohibitioni. Quia etſi peccet inferior non audiens ſuperiori interdicenti votum; at cum rem promiſſam ſuperior non interdixerit, ea manet bona, ac conſequenter legitima voti materia. Et conſtat ex dictis *libr. 7. de matrim. diſp. 2. nu. 9. & 10.* ubi probauimus ſponſalia, & matrimonium inita contra Pontificis prohibitionem nullo decreto irritante adjecto eſſe valida. Si autem ſuperior materiam ipſam interdixit, & ſubditus voueret ſe id facturum abſque ſuperioris licentia, votum eſſet irritum. Quia eſt de re mala, utpote quæ legitimo ſuperioris præcepto aduerſatur. Si autem abſolutè ſubditus ſic voueret, non eſſet irritum votum; ſed non poterit illud exequi ſine ſuperioris licentia. Ut latiùs dicemus infra, tractantes de votorum irritatione; ubi etiam dicemus, quando adjicitur decretum irritans.

4 Tertiò deducitur, etſi votum de jejuniis, & quibuſcumque aliis corporis macerationibus moderatè, & juxta prudentiæ regulas perferendis, licitum ſit, ac obliget; at eſſe irritum, & non obligare quo ad exceſſum, quando ea limites prudentiæ excederent. Quia tunc non ſunt opus virtutis, ſed mala. Ita *D. Thom. 2. 2. quæſt. 88. art. 2. ad 3. Sylv. verbo Votum 1. qu. 4. dicto 3. & verbo Votum 2. q. 14. Sotus lib. 7. de juſt. q. 1. art. 3. ad ultimum, Tabiena verbo Votum 1. num. ultimo.* Quando autem hoc eveniat, dicemus latè tractatu *de jejunio*, ubi diſputatur, quando hæ abſtinentiæ ſint illicitæ. Breviter tamen nunc dico id evenire, quando ita excedunt, ut periculum mortis, vel gravis morbi afferant; vel reddant vouentem ineptum ad exequenda illa, quæ ratione ſtatus, vel officii exequi tenetur. Unde optimè *Sotus ibidem* dixit hoc contingere, quando ita excedunt, ut legi naturæ adverſentur. Dixi *non obligare quo ad exceſſum*; nam quo ad partem moderatam obligaret utique; niſi ea eſſet intentio manifeſta vouentis promittendi hæc per modum unius, ut ſi aliqua pars non obligaret, non teneatur reliquis. Juxta ea, quæ latè trademus *c. 10.*

5 Quando autem dubium eſt, an ea jejunia, & macerationes excedant rationis limites, exiſtimo votum non eſſe validum, quo ad eum exceſſum. Quia in hoc dubio malum eſt periculo gravis morbi, aut non exequendæ obligationis alterius ſe exponere. Quod clarè indicat *Sotus numer. præced.* allegatus, dum *D. Thomam ibi* quoque relatum, dicentem in hoc dubio conſulendum eſſe ſuperiorem, explicat, ut id ſit conſilium. Quamvis *Palacios 4. d. 38. diſp. 1. fol. 825. verſic. Septimò ſi vovet*, dicat in hoc dubio exigi diſpenſationem. Quando verò ſunt opiniones, an ea notabiliter corpori nocebunt, credo non obligare etiam votum quo ad illum exceſſum, nec licere illud exequi, ſed abſtinere ab eo exceſſu, quod ſaluti tutius eſt, amplectendum eſſe. Quia ob opinionis probabilitatem majorem etiam, non ceſſat periculum corporis, ſi fortè contraria ſit vera. Quod in iis, quibus damnum corporis non imminet, minimè procedit. Nam periculum animæ vitatur in aliis, ſequendo opinionem probabilem. Quippe etſi contraria ſit coram Deo vera, reputatur ignorantia invincibilis ab eo peccato excuſant.

6 Simili ratione, quando dubium eſt, an materia voti ſit bona, vel mala, votum non obligat. Quia cum hoc dubio aliquid operari eſt malum. Quando verò ſunt opiniones circa hanc bonitatem, vel malitiam, fas erit quamcumque amplecti, etiam minùs probabilem. Quod probat, ratio *n. præc. in fine*, adducta.

7 Quartò deducitur, quid dicendum de voto, quo quiſpiam expreſsè ſe obligavit ad abſtinendum à carnibus in quacumque neceſſitate, ſive ab extrinſeco ratione morbi, ſive ab intrinſeco, eò quòd aliis cibis caret, proveniat. Quod quidem pendet ex ea quæſtione, an Carthuſianis liceat in his neceſſitatibus abſtinere à carnibus: & aliis quoque privatis id liceat. De qua agetur in tractatu *de jejunio*; ubi quoque de hoc voto dicam.

8 De voto autem jejunandi die Dominica, & quando quis vovet jejunare vigilia alicujus ſancti, & ea incidat in Dominicam: vel vovit jejunare toto menſe; an teneatur diebus Dominicis; latè diximus *lib. 5. hujus ſummæ c. 27. à n. 11. uſque ad 20.*

9 Secunda concluſio. Votum rei malæ mortaliter cum propoſito exequendi, eſt duplex mortali; & rei venialis cum eodem propoſito, eſt duplex veniale. Ratio prioris partis eſt, quia ultra peccatum illud mortale, quod committitur habendo propoſitum exequendæ rei mortalis promiſſæ, eſt gravis injuria religioni voti illata, velle ſe illa obligare ad peccatum mortale, & ſic ultra mortale propoſitum, ipſum quoque votum mortale eſt. Ratio autem poſterioris partis eſt, quia non videtur gravis injuria religionis, illis ſe ad veniale devincire, ratione levitatis materiæ. Sic *Cajetanus ſumma, verbo Votum, c. 2. & ibi Armilla, num. 1. Sylveſt. verbo Votum 1. quæſt. 4. Sotus lib. 7. de juſtit. quæſt. 1. art. 3. Navarr. ſumma c. 12. num. 28. & 33. Toledo libro 4. ſummæ c. 17. num. 15. Aragon. 2. 2. qu. 88. art. 2. fol. 974. Manuel, 2. tomo ſummæ c. 95. num. 1.* Eſt tamen limitanda hæc poſterior pars cum *Cajetano & Armilla ibi*, niſi vovens veniale emitteret hoc votum, quaſi Deo placeret, & acceptum eſſet offerri illi peccatum veniale. Tunc enim eſſet mortalis blaſphemia, attribuendo Deo, quod ei convenire nequit. At ſæpè excuſaret ignorantia: ut poſſet contingere in eo, qui voveret ſe mentiturum ob tuendam proximi vitam; id mendacium Deo acceptum ei ex ignorantia offerens. Quando autem deeſt propoſitum exequendi, aut non ſe obligandi, aut non promittendi, qualis culpa ſit, diximus *cap. 1. numero 37. & 38.*

10 Tertia concluſio. Votum rei bonæ potentis aliquando habere malum exitum obligat. Ut votum obediendi prælato in omnibus, & votum reddendi gladii domino obligant; quamvis ille aliquando rem injuſtam præcipere poſſit; & hic poſſit ſuum gladium petere ad homicidium perpetrandum. Ratio eſt, quia ea vota abſolutè emiſſa tacitam conditionem habent, ex communi voventium intentione, & vovendi modo, ut intelligantur in rebus licitis, & honeſtis. Nec enim præſumendum eſt velle voventem peccare, intelligendo in omni eventu. Atque ita docent *D. Th. 2. 2. q. 88. art. 2. ad 2. Ricard. d. 38. art. 3. q. 1. ad 1. Sylv. verbo Votum 1. qu. 4. Sotus lib. 7. de juſtit. q. 1. art. 3. ad 2.* Quòd ſi vovens intenderet ſe obligare in omni eventu, etiam illicito, & hoc per modum unius, ita ut neutram obligationem ſine alia intendat admittere, votum non obligabit. Quia nequit ad malum eventum obligare. Si autem diviſive utramque obligationem intendit, tunc obligabit in eventibus ſolis licitis. Atque in dubio hæc diviſiva intentio præſumenda eſt. Tum quia illa per modum unius eſt valde metaphyſica, & raro contingens. Tum etiam, quia in hoc dubio valori voti favendum eſt. Ut in ſimili probavimus *c. 2. in fine* ubi etiam dixi exiſtentibus rationibus probabilibus utrimque ita ut opinionem generent, licere utrivis parti etiam minùs probabili adhærere.

SUMMARIUM.

Malus finis quotupliciter poſſit ſe ad votum habere; numero 11. & 12.
Explicatur, quando votum ob malum finem, vel eventum rei ex malo aliquo conſurgentem valeat? nu. 13.
An profeſſio ob malum finem emiſſa ſit irrita: nu. 14.
Quale peccatum ſit ita vovere? nu. 15.
An valeat votum in eum finem, ſi vovens lucrum ex ludo vel ex uſuris reportarit? num. 16.
Quid, ſi votum pendeat ab eo malo fine tamquam à conditione num. 17.
Quid, ſi votum ſit in pœnam illius mali admiſſi; nu. 18.
Quid, ſi offeratur votum illud ad obtinendum malum à Deo, ut eſt bonum naturale, vel pro obtento gratias agendas; num. 19.
An valeat votum erogandæ eleemoſynæ ex lucro per ludum, aut meretricium acquiſito? nu. 20.
An valeat votum meretricis ad eum finem, ſi tot nummos ex meretricio acquiſierit? num. 21.
An valeat votum non peccandi, niſi cum certa fœmina; vel votum Deo emiſſum, & intimatum concubinæ, & illi placeat? num. 22.
An valeat votum delinquentis, ſi non captus fuerit, vel liber à pœna evaſerit? num. 23.
Quid in dubio bonitatis, vel malitiæ finis, vel applicationis ejus ad votum, vel ad rem promiſſam? num. 24.

11 SPecialis autem difficultas eſt, quando materia voti de ſe eſt bona, adjungitur tamen illi malus finis, an votum obliget. Et quidem tripliciter finem malum adjungi poſſe diſtinguit *Cajetanus 2. 2. quæſt. 88. art. 2. dubio 4.* quem ferè omnes Doctores allegandi ſequuntur. Primo, quando malus finis eſt finis rei promiſſæ. Secundò, quando eſt tantùm finis applicationis ad vovendum. Tertiò, quando eſt finis ipſius voti. At clariùs (quamvis in re idem prorſus ſit) duplicem finem diſtinguit *Azor. lib. 11. inſtit. moral. c. 15. qu. 3.* Alter eſt finis malus rei ipſius per votum promiſſæ, qui nimirum, per rem ipſam promiſſam intenditur obtineri, & ad quem obtinendum res ipſa dirigitur. Alter autem eſt finis ſolius voti, quando, nempe, ſola ipſa voti emiſſio ordinatur ad eum finem. Ut cum quis promittit eleemoſynam ob inanem gloriam, tunc illa gloria eſt finis rei promiſſæ, quando illa eleemoſynæ largitio ordinata eſt ad inanem gloriam adipiſcendam. Tunc autem eſt finis ſolius voti, quando vovens promiſit, ut ab adſtantibus promiſſioni eam gloriam compararet; at ipſam eleemoſynæ largitionem non ordinavit ad eam gloriam.

12 Rurſus finis hic ſolius voti, poteſt tripliciter ſe habere. Primò, quando votum illud ordinatur ad malum eum finem obtinendum à Deo, vel ad gratias Deo agendas ratione illius mali obtenti. Ut ſi quis Deo voveat religionis ingreſſum, ſi victoriam in bello injuſto, vel lite injuſta, vel fœminam ad fornicandum obtinuerit, intendens hoc votum Deo offerre, ut hæc concedat; vel in gratiarum actionem pro obtento illo beneficio. Secundò, quando votum ordinatur ad obtinendum à Deo aliquod bonum ex malo aliquo conſurgens, vel ad gratias Deo agendas pro bono illo obtento. Ut ſi quis eleemoſynam Deo promittat, ſi incolumis ex bello injuſto evaſerit, vel ſi filium ex concubina habuerit. Tertiò, quando votum ordinatur ad obtinendum malum finem ab ipſomet vovente, vel ab aliis hominibus. Ut ſi quis promittat religionem, ordinans non ipſum religionis ingreſſum, ſed ipſummet votum, ut à videntibus comparet vanam gloriam; vel ut magis ſibi fidant, quò liberiùs furari valeat.

13 His ergo præmiſſis, communis, & veriſſima hujus quæſtionis deciſio eſt. Quando malus finis, ſive mortalis, ſive venialis, eſt finis ipſius rei promiſſæ, votum eſt omnino irritum. Quia tunc res promiſſa redditur iniqua ob illum malum finem; ac proinde eſt votum rei malæ. Similiter eſt omnino irritum, quando eſt finis ipſius voti, referendo id votum ad Deum, pro eo malo fine obtinendo; aut gratiis agendis pro obtento. Ut conſtat in exemplis adhibitis *num. præcedenti*, in primo modo. Quia iniquus ille voti ordinandi modus naturam voti penitus deſtruit. Cum de voti ratione ſit, ut res per illud oblata acceptari à Deo poſſit. Deus autem acceptare nequit aliquid ſibi oblatum, ut auctor peccati ſit, nec in gratiarum actionem, quaſi illius auctor fuerit. Valet autem votum, quando malus finis eſt finis ſolius voti relati ad obtinendum illum aliunde, quàm à Deo; vel ad obtinendum à Deo bonum ex re mala conſurgens, gratiaſve agendum pro illo obtento, ut in exemplis adhibitis *num. præcedenti*, in ſecundo, & tertio modo. Quia quando malus ille finis aliunde intenditur, quàm à Deo, nec eſt rei promiſſæ finis, manet ipſa res promiſſa immunis à mali finis labe, & ſic grata Deo, quamvis in ipſo vovendi actu peccetur ratione illius mali finis. Quando autem votum refertur ad bonum ex malo conſurgens, non refertur ad Deum id malum, ut bellum injuſtum, vel fornicando, ſed bona naturalia inde conſurgentia, ut incolumitas, & prolis ſuſceptio; quæ utique ipſius beneficia ſunt. Atque hæc docent *Cajetanus 2. 2. quæſt. 88. art. 2. dubio 4. & in ſumma verbo Votum c. 2. Tabiena verbo Votum 2. in fine, Sotus lib. 7. de juſt. q. 1. art. 3. dubio 1. circa 5. concluſionem, Navarr. ſumma, cap. 12. Hiſpana, num. 30. & 31. Latina, num. 30. 31. & 32. & commentario 2. de regul. num. ultim. verſic. Addo 13. Toledo lib. 4. ſumm. cap. 17. num. 16. & 17. Navarra de reſtit. lib. 2. c. 3. in nova editione p. 2. difficultate 7. num. 200. & 201. Angles floribus 2. p. qu. unica de voto, art. 1. difficultate 11. Aragon. 2. 2. q. 88. art. 2. dubio 1. circa 5. concluſionem, Emmanuel Sà ſumma, verb. Votum, num. 4. Azor. libro 11. inſtitutionum moralium, cap. 15. quæſt. 3. Valentia 2. 2. diſputatione 5. quæſt. 6. puncto 2. difficultate 2. Petrus de Ledeſma 2. tomo ſummæ, tract. 10. cap. 2. dub. 4. Manuel. 2. tomo ſummæ c. 94. numero 10. 11. & 12.* Quamvis diſcrepet, in caſu, in quo offertur votum ad obtinendum à Deo bonum ex malo conſurgens, dicens id votum non valere. Ut *ſi habuero filium ex concubina*. Sed jure optimo cæteri allegati contrarium tenent.

14 Atque idem omninò dicendum eſt de profeſſione ſolemni ob malum finem emiſſa; ea enim eſt irrita, ſi malus ille finis ſit finis caſtitatis, obedientiæ, paupertatis per eam promiſſorum. Quia res illæ eo malo fine affectæ nequeunt à Deo acceptari, nec à prælato nomine Dei. Atque ita ſupponunt *Cajetanus, Sotus, Navarr. eo c. 12. num. 32. Azor. Manuel. num. præcedenti* allegati, dum profeſſionem tunc valere dicunt, quando res promiſſa non ordinatur ad eum malum finem. Et in propriis terminis docet *Navarr. commentario 2. de regular. num. ultimo, verſ. Addo 13. Tabiena verbo Votum 2. in fine.* Atque idem dicendum eſt, ſi profeſſio illa ordinaretur ad malum finem obtinendum à Deo, vel gratias agendas pro malo obtento; eſſet enim irrita, ſicut *nu. præced.* idem diximus de voto ſimplici.

15 Quòd ſi roges, quale peccatum ſit vovere ob malum finem? *Armilla verbo Votum, numero ſecundo & Angles, nu. 13.* allegatus dicunt eſſe lethale votum mutuandi ob inanem gloriam. Sed ſic diſtinguendum eſt. Quando res promiſſa

miſſa ordinatur ad malum finem, tale peccatum eſt ſic vovere, quale eſt finis; ac proinde ſi finis eſt mortalis, erit mortale; ſi venialis, erit veniale. Quod benè docent *Toledo, Aragon, Manuel.* allegati *numero* 13. Et ratio eſt, quia ea res promiſſa redditur mala mortaliter, vel venialiter, juxta finis adjecti qualitatem. At vouere rem mortalem eſt mortale, & vouere rem venialem eſt veniale. Ut diximus *num.*9. Quod intelligendum eſt cum limitationibus *ibi* poſitis. Quia eadem prorſus ratio eſt. Et intellige, quando votum eſt ſimplex. Si enim ſit profeſſio ſolemnis, aut vota ſimplicia biennii Societatis Jeſu veros religioſos conſtituentia, erit mortale, etſi finis ſit venialis. Quia redduntur irrita ratione talis finis. At ea irrita reddere eſt mortale; ut de emittente ea fictè, probavi *c.* 1. *nu.*38. Quòd ſi votum dirigatur ad obtinendum à Deo malum illud, vel gratias Deo pro illo obtento agendas; exiſtimo eſſe mortale, etſi finis ſit venialis. Ducor, quia *Cajet. Sotus, Aragon. Angles, Valentia, Petrus de Ledeſma,* citati, *num.* 13. ajunt hoc eſſe blaſphemiam. Quia tribuitur Deo eſſe illius mali auctorem. At blaſphemia in quavis materia eſt mortalis. Ut probavi *l.* 2. *c.*22. *nu.*40. Si verò dirigatur id votum in finem malum aliunde, quàm à Deo conſequendum talis culpa erit id votum, qualis fuerit finis. Et hoc cenſeo verum, licèt ſit profeſſio ſolemnis. Quia non irritatur profeſſio eo fine.

16 Ex his deducitur primò, minùs rectè ſenſiſſe *Sotum, & Aragon. num.*13. allegatos, dum dicunt votum emiſſum ab aliquo hac lege, ſi lucrum ex ludo, vel uſuris reportarit, eſſe validum; ſicut votum valet ea lege emiſſum, ſi habuerit filium ex concubina. Nam de ludo id non eſt generaliter verum, ſed quando vel ludus licitus eſt, vel ſi illicitus, non eſt ita malus, ut lucrum in eo partum ſit reſtitutioni obnoxium. Quia tunc, etſi ludus ſit illicitus, lucrum eſt juſtum. Atque ita valere tunc votum, tradunt *Cajetanus ſecunda ſecundæ, quæſt.*88. *art.*2. *dubio* 4. *Tabiena, & Angles, numero* 13. allegati. At verò, quando ita illicitus eſt ludus, ut lucrum ſit reſtituendum, valet votum; nec ſimiliter valet, ſi lucrum ex uſuris acquiritur. Quia in utroque eventu lucrum illud à Deo petitum eſt in ſe injuſtum; ac proinde dirigitur votum ad impetrandum malum à Deo. In quo caſu irritari votum probavimus *nu.*13. Et ita docet *Azor.lib.*11. *inſtit. moral. c.*15. *q.*3.

17 In triplici tamen caſu poſſet id votum valere. Primus eſt, quando res mala ponitur ſolùm per modum conditionis. Quod tunc evenit, quando non intenditur rem illam obtineri à Deo, nec votum ad id dirigitur, ſed ſolùm ab ejus mali eventu pendet, tamquam à conditione, qua exiſtente obliget, & non aliter. Ut *exiſtente conditione injuſtâ victoriâ voveo religionem. Abulenſis c.*30. *Num. quæſt.*92. *paulò poſt principium*, negat hunc caſum dicens generaliter votum ſub conditione turpi numquam obligare. *Sotus* etiam *num.* 14. allegatus eum negat. Quia, inquit, nemo ſic ſub mera conditione vouet, quin Deum ſui ſceleris patronum interpellet. Et aliud eſſet caſum numquam contingentem effingere. At *Sylveſt. verbo Votum* 2. *quæſt.* 2. *dicto* 3. diſtinguit ſic. Si vouens nolit impleri conditionem, valet votum. Quia ordinatur in pœnam. Si autem velit, non valet. Quia ordinatur ad malum finem obtinendum à Deo. Sed dicendum eſt, id votum valere. Quia cum tunc id votum nullo pacto dirigatur ad id malum, ſed tantùm id malum ſit conditio, nil refert, ſiue bonum, ſiue malum ſit. Atque ita docent *Cajetan. Tabiena, & Valentia num.*13. allegati. At jure optimo dicunt *Cajetan. Tab. & Valentia* moraliter loquendo vix eſſe poſſibile ut homo non dirigat votum ad tale malum. At negandum non eſt, poſſe aliquando contingere. Ut ſi dux Chriſtianus cum Turcis pugnans voveat ſe ad religionem tranſiturum, ſi Turca vicerit. Tunc enim nullatenus intendit eam injuſtam Turcæ victoriam, nec ad eam dirigit votum, imò eam odio habet, ſed ea ſolùm per modum conditionis ponitur. Quare regulariter loquendo benè dixit *Sylveſt.* proximè allegatus, id votum non valere, quando vouens deſiderat eam conditionem euenire. Quia tunc moraliter loquendo dirigit id votum ad obtinendum illud malum à Deo, valere autem, quando non deſiderat. Quia tunc ponitur per modum conditionis, aut pœnæ. Quamvis autem hoc moraliter ſit verum; ſi tamen intentio vouentis ſit per modum ſolius conditionis id malum apponere, valebit votum, ſiue optet eam conditionem impleri, ſiue non. Ut benè docet *Angelus verbo Votum* 1. *in fine*. Quia in utroque eventu pendet votum ab eo malo, tamquam à ſola conditione.

18 Secundus caſus eſt. Quando votum id eſt pœnale, quo promittitur quidpiam Deo in pœnam, ſi id peccatum vouens commiſerit. Et tunc univerſi fatentur valere. Quia optimus eſt finis cavendi illius peccati. Colligetur autem hæc vouentis intentio, ſi dum vouit, deſiderabat illud peccatum vitare, quod apponit per modum conditionis.

19 Tertius caſus eſt. Quando intentio vouentis eſt non offerre Deo votum ad ea mala obtinenda, ut victoriam injuſtam, lucrum injuſtum, vel pro eis obtentis gratias agendas, ut imbibitam in ſe habent eam deformitatem; ſed ut ſecundùm ſuam entitatem naturalem, præſcindendo eam malitiam, ſunt quoddam naturale bonum; tunc enim dicunt quidam id votum valere. Quia illa mala ſic conſiderata ſunt bona, & à Deo. Sic tenent *Cajetan.*2.2.*q.*88.*art.*2. *dubio* 4. *Tabiena verbo Votum* 2. *in fine, Navarr. ſumm. cap.*12. *Hiſpana, nu.*31. *Latina, num.*31. *&* 32. *Aragon.* 2. 2. *q.*88. *art.*2. *dubio* 1. *circa* 5. *concluſionem*. Et hoc dicit probabile *Valentia* 2. 2. *diſp.*6. *qu.*6. *puncto* 2. *diffic.*2. *col.*5. quando votum illud non offertur pro obtinenda à Deo illa entitate, ſed in gratiarum actionem pro jam obtenta. At verius eſt, in neutro caſu valere votum. Quod ſuſtinent *Valent. ibi, & Man.*2. *to. ſumm. c.*94. *num.*12. Quia ſi votum illud emittatur pro illa rei injuſtæ entitate obtinenda, tantùm abeſt, ut liceat vouenti inducere Deum voto emiſſo, ad concurrendum inſtar cauſæ univerſalis ad illam materialem entitatem, ut potiùs teneatur illam vitare; utpote cui malitia moralis conjuncta eſt. Si autem emittatur in gratiarum actionem pro illa jam obtenta, Deus minimè accepte hanc gratiarum actionem, pro entitate illa habente in ſe malitiam imbibitam, & quam tenebatur vouens Dei ipſius præcepto cavere. Quare non eſt ſimile, quando votum fit, ſi Deus dederit filium ex concubina: vel ſi vouens euaſerit incolumis ex bello injuſto. Quamuis *Manuel.* nuper allegatus, minùs benè ea conjunxerit, dicens ea eſſe irrita; ſicut votum pro entitate victoriæ injuſtæ, aut lucri injuſti. Nam materialis hæc entitas eſt pars peccati injuſtitiæ, & prohibetur à Deo. At proles, & incolumitas non ſunt pars peccati, etſi ab illo pendeant.

20 Secundò deducitur, valere votum dandi aliquid pauperibus ex lucro ludi illiciti, non obnoxio reſtitutioni; ſecùs ſi illi obnoxium ſit. Quia in priori lucrum eſt juſtum; ſecùs autem in poſtiriori. Sic docet *Azor. alleg. nu.* 13. Et ſimiliter ob eamdem rationem valet votum dandæ eleemoſynæ ex lucro per meretricium acquiſito; utpote quod non eſt reſtitueneum. Ita *Angles eodem numero* 13. allegatus.

21 Tertiò deducitur, communiter eſſe irritum votum meretricis ſic vouentis. *Dabo eleemoſynam, ſi hoc anno mille lucrata fuero meretricando*. Quia ſæpiſſimè mens ejus eſt, *ſi Deus conceſſerit tot ad me hoc anno confluere meo corpore abuſuros ut hoc lucrum comparem*. Quare communiter votum dirigitur ad illum malum finem à Deo impetrandum; ac proinde eſt blaſphemum, & irritum. Secùs eſſet, ſi mens eſſet ſincera, *ſi illum boni lucri effectum obtinuero*, ſuppoſitis peccatis tamquam conditione. Quia lucrum illud juſtum eſt; quamuis à peccato pendeat, inſtar incolumitatis ex bello injuſto.

22 Quartò deducitur, votum emiſſum Deo non peccandi, niſi cum certa fœmina, quandoque eſſe validum, & quandoque irritum. Validum eſſet, ſi amore continentiæ ſervandæ emitteretur; exciperet autem vouens illam fœminam, eò quòd ſe valde procliuem ad fornicandum cum illa expertus, non auſus eſt illam in voto comprehendere, vel noluit ſe omnino ad continentiam obligare. At ſi eo voto ſe deuinciret eo fine, quia turpi illius fœminæ amore captus intendit ab aliis ſe abſtinendo, potentior eſſe ad frequentiorem cum illa coitum; vel quò illi placeret, & vehementiùs ab illa redamaretur, dum noſſet amore illius id votum illum emiſiſſe. Sic diſtinguendum eſt. Si ille malus finis ſit finis rei promiſsæ, votum eſſet irritum. Si autem is malus finis, eſset ſolius voti finis, eſset validum: juxta regulam *numero* 13. traditam. Quia tunc res promiſsa manet bona; nec votum ordinatur ad obtinendum aliquod malum à Deo, ſed ab ea fœmina. Hinc intelligitur, quod tradit *Palud.* 4. *d.* 38. *quæſt.* 1. *ad finem*, dicens valere votum concubinæ non nubendi, non amore caſtitatis, ſed ut placeat ſuo riuali, emiſsum. Et probat, quia etſi finis ſit malus; res promiſsa eſt bona. Sed intellige, quando placere ſuo rivali, non eſt finis rei promiſsæ: juxta dicta *numer.*13. Ita *Cajetanus* 2. 2. *quæſt.* 88. *art.* 3. *dubio penult. Et ibi Aragon. fol.* 995. *column.* 2. Addit *Cajet.* communiter id votum valere. Quia concubinæ communiter intendunt ſe eo modo adſtringere voto non nubendi, quo honeſtæ mulieres id votum emittunt; idque riuales intendunt. At credo communiter non valere; atque in dubio intentionis ita judicarem. Quia nil minus mulierculæ hæ, nec riuales amant quàm caſtitatem, nec eam intendunt; ſed ſolùm amorem turpem conſervari, & fidelitatem in eo amore non violari. At proinde finis rei promiſsæ eſt communiter turpis.

23 Quintò deducitur, valere votum delinquentis, qui promittit aliquid Deo, ſi non deprehenſus fuerit in delicto. Ut benè docet *Armilla verbo Votum, nu.*3. Vel ſi captus euaſerit liber à pœna. Ut benè docet *Azor. lib.* 11. *inſtit. moral. c.*15. *q.*3. Quia non capi, & liberum euadere, bona ſunt, etſi ex malo actu pendeant.

24 Tandem, quando omnibus circumſtantiis diligenter perpenſis, res eſt dubia circa voti finem, ſic diſtinguendum eſt. Si certum ſit, eum finem fuiſse rei promiſsæ, vel voti, ordinando illud ad obtinendum eum finem à Deo, vel ad agendas gratias pro eo obtento: & tantùm dubitetur, an finis ſit malus, an bonus, votum non obligat. Quia eſt dubium tunc, an materia promiſsa ſit bona, an mala. Si enim is finis ſit malus, erit mala, ſi bonus, erit bona. In quo dubio diximus *numer.* 6. votum non obligare. Quòd ſi dicas poſse hunc benè implere ſublato eo malo fine, de quo dubitatur, id fateor: at hic non vouit ſublato illo fine: & cum illo eſt dubium, an res ſit bona, vel mala. Quando autem eſt dubium de ſola applicatione illius mali finis, an ſcilicet, fuerit finis ſolius voti nil ad Deum referendo: & ſic valuerit votum; an potiùs fuerit finis ipſius rei promiſſæ, vel voti, referendo illud ad Deum, gratia illius mali ab eo impetrandi, vel agendi illi gratias pro jam impetrato, & proinde irritetur votum. Tunc in hoc dubio præſumendum eſt in favorem valoris voti, cujus verba ſunt clara: & ut minus delictum præſumatur. Ut in ſimili probaui latè *c.* 2. *in fine*. Quamuis *Tabiena verbo Votum* 2. *in fine*, dicat in ſola religionis profeſſione præſumi, fauore ejus non inficere finem malum. Sed id non probat: & ideò non eſt admittendum. Quòd ſi malitia finis, & ejus applicatio dubia ſint, credo adhuc in voti favorem eſſe præſumendum. Quia militant rationes adductæ *c.* 2. *in fine*.

CAPUT VII.

Qualiter non obliget votum de rebus indifferentibus: vel quando finis eſt indifferens, aut rei temporalis conſecutio?

SUMMARIUM.

Quot quæſtiones diſputantur? Et quando res dicitur indifferens; num. 1.
Votum rei indifferens, an valeat; n. 2.
An indigeat diſpenſatione, aut commutatione; n. 3.
An ſit culpa id votum emittere; n. 4.
Quot conditiones exigantur, ut votum rei indifferentis obliget; numero 5.
An votum non nendi in Sabbato in honorem Beatæ Virginis valeat; n. 6.
Quid de voto abſtinendi ea die ab omni opere ſervili; n. 7.
Quid de voto non veſcendi ea die omnibus, aut quibuſdam animalium partibus; n. 8.
Quid de voto abſtinendi à capitibus animalium, in honorem D. Joannis, vel à carnibus coctis in honorem D. Laurentii; vel omnino à carnibus; n. 9.
Quid de voto abſtinendi ab omni cibo igne condito in honorem B. Laurentii; n. 10.
Quid de voto induendi veſtes albas in Sabbato, vel ſemper veſtes albas; vel ſcapularem veſtem B. Virginis; vel veſtes honeſtas, vel viles, & aſperas; n. 11.
Votum adeundi urbem in qua ſunt reliquiæ ſanctorum, cauſa ſolius urbis inuiſendæ, an valeat; n. 12.
Votum agitandi tauros in ſanctorum honorem, an valeat; n. 13.
Quid de voto nocturnarum peruigilationum; n. 14.
Quid de voto numquam ingrediendi mare, vel numquam equitandi, ratione periculi; n. 15.
Quid de voto abſtinendi à tali ludo, vel cum tali perſona, vel in tali domo; n. 16.
Quid de voto non fornicandi cum tali fœmina, vel in die feſto abſtinendi à tali opere ſeruili, relicta facultate ad peccandum cum aliis, vel ad exercenda alia ſeruilia ſimiliter de quouis alio opere vetito; n. 17.
Quid de voto eleemoſynæ, ex certa pecunia erogandæ, ita ut alia erogata non ſatisfiat; num. 18.
An votum numquam ingrediendi domum, in qua tunc nulla peccati occaſio erat, obliget, ſi poſtea peccandi occaſio ſit, vel ſi falsò ille putabat eſſe occaſionem, vel verè erat, & ceſſauit, & poſtea rediit; n. 19.
Quid ſi id vouit ad vitandam fornicandi occaſionem cum certa fœmina, & ceſſet ea occaſio, at ea fœmina eſt illa occaſio alterius peccati, aut ea abiit, & habitat alia, quæ eſt fornicandi occaſio; n. 20.
An in dubio, an materia ſit indifferens, obliget votum; n. 21.
Poſt n. 21. *invenies ſummaria, quæ deſiderantur.*

1 DUplex quæſtio tractanda eſt. Prior, quando materia voti eſt indifferens. Poſterior, quando eſt bona; ſed finis eſt indifferens, aut conſecutio alicujus rei temporalis. Dicitur verò res indifferens, quæ ex ſe, nec bona, nec mala eſt; & cujus aſſecutio non magis eſt utilis ad vitam æternam conſequendam, quàm ejus priuatio. Ut benè docent *Ricardus* 4. *diſt. trigeſima octava articulo primo, quæſt.* 3., *Angelus verbo Votum* 1. *num.* 4. *Sylueſt. verb. Votum* 1. *quæſt.* 4. *dict.* 2.

2 Circa priorem quæſtionem, prima concluſio ſit. Votum rerum, quæ omnibus circumſtantiis concurrentibus ſpectatis ſunt indifferentes, eſt prorſus irritum. Quia cum votum ſit actus religionis, deſiderat materiam cultui diuino deſeruientem. At indifferentia non ſunt hujuſmodi: nil enim ad Dei cultum refert, illa ſic, vel aliter fieri. Concluſio eſt *D. Thom.* 2. 2. *q.* 88. *artic.* 2. & à nemine negatur.

3 Hinc deducitur, nulla opus eſſe diſpenſatione, aut commutatione talis voti; utpote quod nullam obligationem parit. Ita *Cajet.* 2. 2. *quæſt.* 88. *artic.* 2. *dubio* 5. *Sotus lib.* 7. *de juſtit. q.* 1. *artic.* 3. *circa* 2. *concluſionem, Nauarr. ſumm. c.* 12. *numero* 37. *Palacios* 4. *d.* 38. *diſput.* 1. *f.* 825. *col. verſ. Septimò ſi vouet, Aragon.* 2. 2. *quæſt.* 88. *artic.* 2. *in dubio* 1. *circa* 3. *concluſionem, Manuel.* 2. *tom. ſummæ cap.* 94. *numero* 6. *Petrus de Ledeſm.* 2. *tom. ſummæ, tract.* 10. *cap.* 2. *dub.* 2. Quamvis aliqui dicant tutius eſſe diſpenſationem petere. Hi ſunt *D. Anton.* 2. *p. tit.* 11. *c.* 2. §. 4. *Angel. verbo Votum* 1. *numero* 5. *Syl. verb. Votum* 1. *q.* 4. *dicto* 3.

4 Secundò deducitur, culpam eſſe venialem, votum rei indifferentis emittere. Eſt quidem culpa; quia eſt de materia illegitima: venialis autem, quia eſt illegitima, eò, quòd ſit vana; ac proinde eſt leuis culpa vanitatis. Ita *Aragon. Pet. de Ledeſma, Manuel num. præced.* allegati, *Toledo l.* 4. *ſumm. c.* 17. *num.* 14.

5 Secunda concluſio. Ut votum rei ex ſe indifferentis obliget, quadruplex conditio deſideratur. Prima eſt, ut concurrat aliqua boni finis circumſtantia ipſam rem ex ſe indifferentem honeſtam reddens. Ut ingredi, vel non ingredi talem domum, res eſt ex ſe indifferens: at ſi ibi eſſet occaſio peccandi vouenti, non ingredi eſſet bonum, ac ſubinde eſſet legitima voti materia. Et è contra ſi ingredi veſtiretur aliquo bono fine, ut ſolatio afficiendi infirmi ibi habitantis, vel alio ſimili, eſſet bonum, & voti materia. Atque hanc docent *Ricardus* 4. *d.* 38. *art.* 3. *quæſt.* 1. *Cajet. eo art.* 2. *dubio* 5. *& in ſumm. verb. Votum, c.* 2. *in fine, & ibi Armilla, num.* 4. *Sot. & Toledo, num.* 3. allegati, *Nauarr. ſum. c.* 12. *n.* 28. *Met. lib.* 1. *ſummæ c.* 14. §. 6. *Angles floribus* 2. *p. q. unica de voto, art.* 1. *diffic.* 7. *Azor. lib.* 11. *inſtit. moral. c.* 14. *q.* 5. *Valent.* 2. 2. *diſput.* 6. *q.* 6. *punct. col.* 6. *diffic.* 3. *Aragon. Manuel. Petr. de Ledeſm.* citati *n.* 3. Secunda conditio eſt, ut res illa indifferens de ſe, ſit apta, & proportionata, ut illi bono fini deſeruiat. Si enim ad illum nil conferat, non valebit votum; eò quòd adhuc manet res indifferens. Ut ſi in honorem B. Virginis voueret quiſpiam fore, ut non præſcinderet ſibi ungues in die Sabbati; quamuis honos ille intentus ſit bonus; at quia non præſcindere ungues eſt illi fini inutile, manet id indifferens, & inepta voti materia. Ita *Cajet. eod. dub.* 5. *Angel. Sylv. Sot. Nav. Palacios Aragon.* allegati *n.* 3. *Angles, Valent. Azor. Manuel. Toled. Petr. de Ledeſm.* proximè allegati. Tertia eſt, ut ea res de ſe indifferens, honeſtandaque bono fine adjuncto, dirigatur ab ipſo vouente ad eum finem. Si enim voueret quiſpiam ſe non ingreſſurum talem domum, in qua eſt quædam peccandi occaſio; at nullatenus eam ſpectaret, nec cauſa ejus vitandæ vouerit, non valet votum. Quia cum res illa indifferens minimè fine illo honeſto ex vouentis intentione veſtiatur, manet adhuc indifferens, ac ſubinde inepta voti materia. Ultima eſt, ut is finis honeſtans rem indifferentem adhuc maneat. Nam cum eo ceſsante redeat res ad ſuam indifferentis rei naturam, nequit votum ad illam obligare, utpote quæ res jam vana eſt. Ita *Cajet.* utroque loco, *Armilla, Sotus, Nauarr. eo numero vigeſimo octauo, Metina, Angles, Aragon. Valentia, Azor. Manuel. Petrus de Ledeſma eiſdem locis* proximè alleg.

6 Hinc primò deducitur, votum non nendi in Sabbato in honorem B. Virginis, relicta vouenti facultate exercendi alia ſervilia, eſſe irritum. Quia nil refert ad ejus honorem ab eo opere abſtinere, cum vouenti integrum ſit aliis ſeruilibus mentem magis à diuinis auocantibus vacare. Ita *Cajet. eod. art.* 2. *dub.* 5. *Sot. Nauarr. Metina, Angles, Aragon. Petrus de Ledeſ. Valentia, Azor. Manuel.* quos *n. præcedenti* retuli. Valeret tamen id votum veſtitum hoc fine, ut vouens expeditior eſset ad recitandos ſæpiùs calculos virgineos. Quia jam ratione illius boni finis non manet res indifferens. Ita docet *Nauarr. ſumma c.* 12. *n.* 28. Sed hoc intelligo, quando perſona illa eſset valde affecta ad nendum, vel communiter ei operi vacaret, ac proinde id eſset peculiare ſæpiùs recitandi impedimentum. Quando enim nil peculiare eſset in hoc opere ſeruili reſpectu vouentis, manet adhuc res indifferens, & militat eadem ratio. Quod optimè innuit *Cajetanus*, dum dicens id votum non nendi minimè ſubſiſtere, eam reddit rationem. Quòd negatio hæc nendi non aſſumatur ad majorem mentis expeditionem, gratia vacandi diuinis. Cum alia ſeruilia, quibus incumbere poteſt, magis impediant, & plus mentem à diuinis auocent. Atque ideò videtur petere aliquod peculiare impedimentum ex opere hoc ſeruili reſpectu vouentis ad vacandum diuinis.

7 Si verò votum eſſet abſtinendi in Sabbato ab omni ſeruili, in honorem B. Virginis, valeret utique. Quod fatentur omnes Doctores *n. præc.* allegati. Quia id in ſanctorum honorem cedit; ut conſtat ex feſtorum inſtitutione ad eos colendos: & mens expeditior ad diuina manet. Quòd ſi caſus accideret, ut Sabbati obſeruantia eſſet aliis ſcandalo, eò quòd obſeruans redderetur ſuſpectus de Judaiſmo, vel in eo oppido Judaiſmus vigeret, dicunt *Angelus verbo Votum* 4. *in fine, & Sylveſt. verbo Votum* 4. *q.* 7. *dicto* 7. id votum eſſe in aliud opus pium commutandum. At exiſtimo, nec tunc eſſe neceſſariam commutationem, nec quando ob aliam cauſam votum non obligaret; ut ſi vouens indigeret ſuis operis ad familiam ſuſtentandam. Quia legitimè excuſaretur, dum hæ cauſæ permanerent, à voti executione. At excuſatus legitimè nulla indiget voti commutatione, aut diſpenſatione. Sed non omninò extingueretur voti obligatio, ſed ſuſpenſa eſſet durante ea cauſa, qua ceſſante rediret. Sicut nec alia præcepta extinguuntur aduenienti impedimento temporali ea obſeruandi.

8 Secundò deducitur, votum de non edendis pedibus porcinis, aut manibus arietinis in die Sabbati in honorem B. Virginis, eſſe irritum. Quòd nil ad Beatæ Virginis honorem conferat ab his abſtinere; cum integrum ſit vouen-

vouenti veſci aliis animalium partibus; quas ea die ſecundùm patriæ conſuetudinem comedere licet. At valeret votum abſtinendi ea die ab omnibus his animalium partibus. Sic *Petrus de Ledeſma 2. tomo ſummæ, tractat. 10. c. 2. dubio 2.* Sed priorem partem ita generaliter dictam non approbo; ſed tunc tantùm, quando abſtinentia ab illo eſu promiſſo nil ſpeciale reſpectu vouentis haberet, præ cæteris animalium partibus, quarum eſum ſibi per votum non interdixit; ſecùs ſi ſpeciali illius eſus, à quo abſtinere vouit, ſapore traheretur; atque, quò ſe ea voluptate privaret, eam abſtinentiam vovit. Tunc enim obligaret votum; utpote quod de bona abſtinentia eſt.

9 Tertiò deducitur, irritum eſſe votum non veſcendi animalium capitibus in honorem D. Paptiſtæ, eò quòd illi caput amputatum ſit. Quia hoc in ejus honorem non cedit. Ita *D. Anton. 2. p. tit. 11. c. 2. §. 4. Angelus verb. Votum 1. n. 5. Sylveſter verb. Votum 1. q. 4. dicto 3. Nav. ſumm. c. 12. n. 37. Palacios 4. d. 38. diſp. 1. f. 825. col. 2. verſ. Septimò ſi vouet, Toledo l. 4. ſumm. c. 17. num. 14. Azor. l. 11. inſt. moral. c. 14. quæſt. 5.* Similiter non valeret votum de non edendis carnibus igne aſſis in die ſancti Laurentii, in ejus honorem, quòd igne aſſatus ſit. Quia ad ejus honorem nil hoc confert; cum vovens carnes coctas edere valeat. Ita *Palacios, & Azor. ibidem.* Utraque tamen pars intelligenda cum limitatione tradita *numero præcedenti*; nimirum, niſi ſpecialiter vouenti ſaperent carnes illæ, quas non comeſturum promiſit, ut eo ſapore in honorem ſancti ſe privaret. Valeret tamen votum abſtinendi prorſus à carnibus aliquo die in honorem cujuſcumque ſancti. Ut benè ait *Azor. ibidem.* Quia eſt magna abſtinentia in ſanctorum honorem redundans.

10 Votum autem abſtinendi ab omni cibo igne condito in vigilia, vel die ſancti Laurentii, in ejus honorem, eſt vanum, & irritum. Ut docet *Palacios num. præcedenti* allegatus. Quod tamen non credo, ſed exiſtimo eſſe validum. Quod ſupponunt tamquam manifeſtum omnes Doctores *c. 5. n. 31.* allegati. Et ratio eſt, quia eſt magna abſtinentia his omnibus cibis privari, ſoloſque arborum fructus edere.

11 Quartò deducitur, quid dicendum de voto induendi veſtes albas in die Sabbati, in memoriam virginitatis Deiparæ. *Sotus n. 3.* allegatus, ait id votum non eſſe omnino vanum; ac proinde judicat valere. Quia color albus virginitatem in memoriam revocat. Et *Azor. n. 5.* allegatus ait valere votum fœminæ utendi ſemper veſtibus albis. Quòd ſignum caſtitatis ſint. At meliùs, *Cajet. ſumma, verbo Votum, c. 2. paulò poſt princ.* tradit votum utendi veſtibus albis eſſe vanum, & irritum. Quia parum ad eum finem conferunt. Si tamen perſona ejus conditionis eſſet, ut ſpecialem memoriam virginitatis Deiparæ eæ veſtes excitarent, credo valere votum. Quia adeſt ſpecialis circumſtantia eum uſum ex ſe indifferentem honeſtas. Similiter valet votum utendi ſcapulari veſte Beatæ Virginis. Quia id in honorem Virginis cedit. Valet etiam votum utendi veſtibus honeſtis. Nam id honori divino valde expediens eſt. Similiter ait benè *Azor.* proximè allegatus, valere votum induendi veſtes viles, & aſperas. Quia illud ad humilitatem, hoc autem ad pœnitentiam ſpectat.

12 Quintò deducitur, votum adeundi urbem, in qua reliquiæ ſanctorum ſunt, non cauſa reliquias adorandi, ſed urbis illius inviſendæ, eſſe irritum; ſecùs cauſa adorandi reliquias. Quia in priori caſu res eſt indifferens, in poſteriori vero religioſa. Ita *Navarrus ſumma c. 12. n. 28.*

13 Sextò deducitur, votum agitandi tauros in ſanctorum honorem, eſſe irritum. Quia id ad eorum cultum minimè ſpectat. Ita habetur in *Concilio ultimo Toletano, actione 3. decreto 26. & in Bracharenſi ultimo, actione 5. part. 2. c. 8. & in motu proprio Pii V. de agitatione taurorum*, qui quantum ad hoc non eſt revocatus per *motum proprium Gregor. III.* Imò cum *ibi* præcipiatur, ne in diebus feſtivis agitentur, indicatur clarè eas agitationes in honorem ſanctorum minimè redundare.

14 Septimò deducitur, votum de nocturnis vigiliis, ubi eæ ſunt ab Epiſcopis interdictæ, eſſe irritum. Ut interdictæ ſunt in *ſynodo, Toletana ult. actione 2. decreto 20. & in Bracharenſi 4. actione 5. c. 24.* Ubi autem non ſunt interdictæ, exiſtimo id valere. Quia eſt de re bona. Quia tamen ex iis pleraque abſurda ſequuntur, ob quod jure optimo in aliquibus diœceſibus interdicuntur, multò ſanius conſilium erit ea vota commutare, & credo facili commutatione indigere. Quia attenta hominum malitia, parum aut nihil in honorem Dei cedunt.

15 Octavò deducitur, votum numquam ingrediendi mare, eò quod vouens in eo periculum paſſus ſit, vel non equitandi, eò quòd ex equo ceciderit, eſſe irritum. Quippe eſt de re indifferenti nullo honeſto fine adjuncto. Ita *Toledo libro 4. ſummæ c. 17. numero decimo quarto.* At exiſtimo valere; caſu quo peculiare periculum ea, vouenti afferrent, ratione peculiaris complexionis aut imperitiæ equitandi. Quia tunc finis honeſtus eſſet.

16 Nonò deducitur, quid dicendum ſit de voto abſtinendi à tali ludo, vel cum tali perſona, vel in tali domo, relicta ludendi libertate aliis ludis, vel cum aliis perſonis, vel in alia domo. De qua re latè diximus *l. præced. c. 18. à nu. 9. uſque ad 13.*

17 Decimò hinc deduceret aliquis, votum non fornicandi cum certa femina, relicta fornicandi cum aliis libertate, non eſſe validum, quando nulla eſſet occaſio ſpecialis cum illa. Quia videtur eadem ratio, ac de voto non ludendi certo ludo, in quo non eſt peculiaris occaſio, quòd eſt irritum. Nam etſi non fornicari cum ea fœmina bonum ſit; at non fornicari potiùs cum illa, quàm cum alia, minimè concurrente aliqua ſpeciali ratione in illa, videtur res indifferens. Sed exiſtimo id votum, ut communiter emittitur, eſſe irritum. Quia abſtinentia ab ejus fœminæ concubitu, communiter ordinatur ad vindictam de illa ſumendam, vel eo quòd deformis ſit, parumque voluptatis ejus concubitus afferat. At ſi is malus finis non eſſet finis rei promiſſæ, ſed ſolius voti emittendi, credo votum eſſe validum, etſi nullo alio fine honeſto ea abſtinentia ab illo peculiari concubitu afficeretur. Nec eſt ſimile de voto abſtinentiæ à ludo, & aliis rebus ex ſe indifferentibus. Quia ea nullam honeſtatem ſecum afferunt; ac proinde fine extrinſeco honeſtante indigent. At abſtinentia à quacumque re mala eſt de ſe honeſta, quare niſi aliquo malo fine veſtiatur, eſt legitima voti materia. Et ſimile eſt de quocumque alio proibito, valet enim votum non exercendi cujuſvis operis ſervilis peculiaris in feſtis, etſi ex vi voti relinquatur facultas alia exercendi, non & ſit peculiaris ratio de illo. Quippe procedit ratio adducta.

18 Undecimò deducitur, quid dicendum ſit de voto, quo aliquis ita pecuniæ certæ eleemoſynam promitteret, ut expreſſa ejus mens eſſet, nulla alia æquiualenti data ſatisfacere. *Abulenſis c. 30. Num. q. 54.* ait votum eſſe ſuperſtitioſum; obligare tamen ad dandam eam, vel æquiualentem. At exiſtimo eſſe irritum. Quòd ille eleemoſynam abſolutam non vouerit, ſed ſuperſtitioſam, qua nequaquam colitur Deus. At poſſet id votum ſuperſtitione carere, & eſſe validum. Ut ſi vouens peculiari illius pecuniæ amore teneretur, eò quòd aurea ſit, vel ob aliam rationem, & quò ſe illa inordinata affectione priuaret, voueret ſe illammet pecuniam pauperibus erogaturum, ita ut vellet nulla alia ſatisfacere.

19 Duodecimò deducitur, qualiter intelligendum ſit, quod tradit *Navarr. ſumma Latina capite duodecimo numero ultimo*, nempe, votum, vel juramentum generaliter præſtitum numquam intrandi in aliquam domum, nulla exiſtente cauſa ſpeciali honeſtante, quod ex ſe vanum, & irritum eſt, tamquam de re indifferenti emiſſum, effici validum, ſi domus illa inhabitari poſtea incipiat à femina aliquam peccandi occaſionem afferente. Quod quidem ita, ut jacet, eſt minùs verum. Quia cum votum à principio fuerit irritum, eò quòd vouens nulla honeſta vitandæ alicujus occaſionis cauſa adductus ſit; occaſio ſubſequens minimè à vovente ſpectata non efficit votum convaleſcere. Deſiderabat enim ad ſui valorem, ut ad aliquem honeſtum finem id à vouente dirigeretur. Juxta dicta *n. 5. in 3. conditione.* At erit vera ſententia *Navarri*, ut obliget id votum, quando à principio ductus eſt vouens aliqua occaſione, quam per errorem ibi eſſe putabat, quoties enim ea occaſio adfuerit, tenebitur eo voto, & ſi ceſſet ſemel, & poſtea redeat, redibit quoque voti obligatio; utpote quæ non extincta, ſed ſuſpenſa erat. Ut hæc probavimus *c. 2. nu. 45. & nu. 50.* Sed fortiter urget ad probandum ſententiam *Navarri* eſſe univerſaliter veram etiam, quando nulla honeſta cauſa ductus eſt vouens: quia ut dicemus *c. 9. nu. 2.* ad valorem voti non ſpectatur, an materia ſit apta tempore, quo votum ſit, ſed tempore, quo exequendum eſt. Ut votum audiendi quotidie ſacri ab exiſtente in mari, vel excommunicato emiſſum valet, quamvis non obliget pro tempore, quo eſt in mari, vel excommunicatione, quo eſt materia impoſſibilis, aut illicita, ſed pro tempore, quo poſſibilis, & licita fuerit. Similiter ergo votum non ingrediendi umquam ullam domum nullo honeſto fine emiſſum, obligabit tempore, quo materia non fuerit indifferens, quia incipit habitari à fœmina dante peccandi occaſionem. Reſpondeo regulam deficere in caſu, quo materia erat à principio omnino indifferens, nam votum tunc erit irritum, nec obligabit pro tempore, quo materia fuerit effecta bona. Ratio differentiæ eſt, quia in exemplo adhibito voti audiendi quotidie ſacri ab exiſtente in mari, vel excommunicato, materia illa erat de ſe poſſibilis, & honeſta, & eam ut talem reſpexit vouens, cum enim Deo id dicarit, noluit ſe obligare pro tempore, quo id illicitum, aut impoſſibile eſſet; & ita ea materia erat apta voto. At materia indifferens erat prorſus inepta. Tum, quia nulla cauſa honeſtabatur. Tum etiam, quia etſi honeſtum eſſet illuc non ingredi, non id ſufficit ad voti valorem, ſed oportet, ut vouens eum finem honeſtantem ſpectarit, eoque ductus vouerit. Ut diximus *n. 5., in 3. conditione.*

20 Si autem eſſet occaſio, ratione cujus votum rei indifferens fiebat rei bonæ, & validum, ceſſabit pro tunc obligatio voti; donec occaſio illa redeat. Ut diximus *n. præced.* At non redibit obligatio voti, ſi occaſio illius peccati ceſſet, quamuis adſit occaſio alterius. Ut ſi quis vouit non ingredi certam domum, eò quòd quædam mulier ibi habitans erat illi occaſio fornicandi, ſi mulier illa inde abeat, & ibi habitet alia, quæ eſt occaſio alterius peccati, ut furti, non tenebitur vouens ex vi voti illuc non ingredi. Ut benè ait *Navarr. ſumm. Lat. c. 22. in fin.* Quia id votum fuit reſtrictum ex ejus fine ad occaſionem fornicandi. Qua ratione idem credo, etſi eadem mulier ibi maneat, nulla

ratio-

ratione jam occaſio exiſtens fornicandi, ſed alterius peccati. Quia ſola fornicandi occaſio vitanda promiſſa eſt. Imo, ſi non ea mulier, ſed alia habitet, quæ eſt ſimilis fornicationis cauſa, exiſtimo illum non fore voti reum, illuc ingrediendo. Quia votum reſtrictum eſt ad fornicandi occaſionem ex priori muliere datam. Secùs eſſet, ſi votum fieret, eò quòd ibi mulieres inhoneſtæ inhabitare ſoleant, quæ fornicandi cauſa ſunt; tunc enim obligabit votum, dum quæſtis mulier mala eam occaſionem præbens ibi inhabitaverit.

21 Tandem ſi dubium fuerit, an res promiſſa ſit indifferens, an potiùs bona; quidam cenſent votum non obligare. Quia ad voti materiam deſideratur eam eſſe contraria meliorem. Ut *diximus c. primo, n. primo.* Si ergo fuerit dubium, an ſit indifferens, longe aberit a vera voti materia; ac proinde votum erit irritum. Et huic parti videtur favere *Sotus libro 7. de juſt. quæſt. 1. art. 3. in dubio, quod mouet circa ſecundam concluſionem, in fine*; ubi ait timorati animi eſſe diſpenſationem procurare; & ita videtur ſentire id tantum eſſe ſub conſilio. At exiſtimo obligare votum. Ut bene docent *Aragon. 2. 2. quæſt. 88. artic. 2. dubio 1. circa 3 concluſionem, f. 976. colum. 1. verſicul. Dico tertio, & Manuel. 2. tom. ſummæ c. 94. n. 7.* Ducor, quia cum de voti verbis conſtet, & dubia ſit excuſatio; ſtat poſſeſſio pro voti valore, in cujus favorem, & ut actus valeat, præſumitur in eo dubio materiam eſſe bonam, & ſic contrariam meliorem. Et id quoque probatur ex alijs rationiaus, quas in ſimili dubio adduximus *c. 2. in fine*, & ex peculiari adducta *eo c. 2. n.* 3ſt. Si autem ſint opiniones, an materia ſit indifferens, ac proinde, an obliget votum, licebit cuicumque probabili adhærere, etſi contraria probabilior ſit.

SUMMARIUM.

An votum ob finem rerum temporaliam aſſequendarum, ſit ſimoniacum, nec valeat; n. 22.

An valeat id votum, quando is finis, qui aſſecutio temporalium eſt manet indifferens? Refertur duplex ſententia, num. 23. & 24.

Explicatur ſententia Auctoris, n. 25.

An profeſſio religionis emiſſa ob finem indifferentem valeat; n. 26.

Qualis culpa ſit, vouere aut profiteri, aut vota bienij Societatis Jeſu ob finem indifferentem emittere; n. 27.

Votum ob temporalia aſſequenda, qualiter emittatur communiter? Et in dubio, an maneat finis indifferens, vel ita rem promiſſam afficiat, ut votum non obliget, an obliget; n. 28.

Votum non ludendi ſolo fine non amittendæ rei familiaris, an valeat; n. 29.

An votum ad res temporales aſſequendas ſit conditionale, nec obliget, antequam comparentur, vel eis non comparatis; n. 30.

22 Quæſtio poſterior. An votum rei ex ſe bonæ ob finem indifferentem, aut ad bona temporalia aſſequenda, non addito fine peculiari honeſtante, validum ſit? Equidem nullo pacto eſt audiendus *Innoc. c. Scriptura nu. 1. de voto*, ubi ait vota ad res temporales aſſequendas emiſſa, eſſe ſimoniaca, ac proinde non obligare. Quia continent pactum cum Deo initum, *facio ut facias*; ac proinde eſt temporalia illa voto ſpirituali emere; aut commutare ſpiritoale cum temporali: quæ ſimoniaca ſunt. Sed dicendum eſt, ea vota eſſe licita, ac proinde valida. Quia hoc non eſt temporalia ſpirituali voto emere, aut cum illo commutare; ſed rem aliquam voto promiſſam Deo offerre, ſi illa temporalia concedat, eumque provocare illo voto emiſſo, ut concedat. Præterea, quia multa vota referuntur in ſacris litteris, atque proſper eventus eorum approbationem indicavit, quæ pro bonis temporalibus a Deo obtinendis emiſſa ſunt. Ut votum Jacob *Geneſ. 28.* pro peregrinatione, & reditu fœlicibus. Votum Annæ pro obtinendo filio *1. Reg. 1.* Votum filiorum Iſrael pro obtinenda victoria, *Nu. 21.* Idque communi totius Eccleſiæ approbantis hæc vota conſenſu receptum eſt. Atque ita docent *Hoſtienſ. dict. c. Scriptura, n. 5. & 6. Joannes Andreas, n. 3. Ant. nu. 3. Card. n. 2. qu. 4. Abbas, n. 5. Anchar. n. 3. quæſt. 2. Henricus, nu. 11. Ricard. 4. d. 38. artic. 1. quæſt. 2. & 3. Major ibi quæſt. 1. Abulenſ. c. 30. Num. quæſtione 92. Angelus verbo Votum 1. nu. 4. & 9. Sylveſter verbo Votum 1. quæſt. 4. dicto 2. & quæſt. 5. in fine, Cajetanus 2. 2. quæſt. 88. artic. 2. dubio 4. Sotus libro 7. de juſtit. quæſt. 1. art. 3. ad finem corporis, verſicul. An vero votum, Palacios 4. d. 38. diſput. 1. fol. 814. columna prima, verſiculo: Reſpondebis indifferentiam.*

23 Sed difficultas ſpecialis eſt, quando votum emittitur pro his temporalibus obtinendis, quæ ex ſe indifferentia ſunt, nec a vovente referuntur ad alium ſuperiorem finem, qao honeſtentur, ſed in illis ſolis ſiſtitur, an validum ſit. Quidam ajunt non vitiari votum rei bonæ, eo quod finis ſit indifferens. Et id probant, quia ratio voti ſolum petit, ut ejus materia ſit melior, quam contraria; id autem minime petit circa ejus finem. Item probat *Ricardus 4. d. 38. art. 1. q. 2. ad 2.* quia quamvis Deus non acceptet votum ob ſolas res temporales emiſſum, tamquam meritorium, placet tamen ſibi, ut ea obligatio valida ſit; ut poſtea per voventis intentionem ad meliorem finem ordinetur. Ita docent *Ricardus, ibi, & q. 3. Angelus verb. Votum 1. n. 4. Sylv. verb. Votum 1. q. 4. dict. 2. Palacios, n. præced.* relatus.

24 Alii tamen juniores ſic diſtinguunt. Si res illa per votum promiſſa ordinetur ad hæc temporalia à Deo aſſequenda, vel ad agendas gratias pro eis obtentis, validum eſt votum: ſecùs ſi ordinetur ad eas aliunde, quàm à Deo obtinendas. Ducuntur, quia quicumque ſuo voto, & ſuis bonis operibus intendit aliquid temporale obtinere à Deo, vel pro illo obtento gratias agere, eo ipſo Deum auctorem illorum bonorum eſſe fatetur. Atque proinde res illa voto promiſſa conducit ad Dei honorem, & erit legitima voti materia. Quod non reperitur, quando aliunde eas res obtinere intendit vouens.

25 At loquendo de voto, cujus finis eſt res quædam indifferens, ſic diſtinguendum eſt. Si res illa indifferens ſit finis materiæ per votum, promiſſæ, eò quòd hæc materia ſolùm; ordinetur ad finem illum à Deo, vel aliunde aſſequendum, votum eſt prorſus irritum, & ad nil obligat. Et ratio eſt, quia cum in moralibus ſpecies rei ſumatur à fine, talis eſt res qualis eſt finis. Ergo ſicut ſi finis illius rei promiſſæ eſſet malus, ipſa quoque mala eſſet; ita ſi finis ſit indifferens, ipſa quoque indifferens erit. At votum rei indifferentis non obligat. Exemplum hujus ſit, ſi quis vouet jejunium, illud tantùm ordinans, ut ſumptibus parcat, vulgo, *Para ahorrar*; vel vouet eleemoſynam, ad ſolam avaritiæ opinionem auferendam; neutri rei promiſſæ alium finem honeſtum adjicens, irritum eſt votum. Si autem ſit finis rei promiſſæ, ordinando illam ad agendas Deo gratias pro illa re indifferenti obtenta; aut ſit finis ſolius voti, ordinando illud, ut eam rem indifferentem obtineat, ſive à Deo, ſive aliunde; aut ad agendas Deo gratias pro re indifferenti obtenta, valebit votum. Exemplum hujus ſit. Quando vovens ad jejunium, vel etiam eleemoſynam, non ordinat ea ad prædictos fines obtinendos indifferentes; ſed ordinat ea ad gratias agendas Deo pro eis finibus indifferentibus obtentis; vel non rem promiſſam, ſed ipſum votum ordinat ad eos fines aſſequendos; aut ordinat ipſum votum ad prædictam gratiarum actionem, valet votum. Itaque tunc tantùm non valet votum hoc, quando res illa promiſſa ordinatur ad rem indifferentem aſſequendam. Et ratio eſt, quia quando ſive votum, ſive res ipſa promiſſa ordinantur in gratiarum actionem Deo pro his obtentis, finis non eſt indifferens, ſed optimus. Ea enim gratiarum actio, ad quam ordiuntur, optima eſt; & Deus tamquam verus horum indifferentium auctor, utpote quæ non mala ſunt, acceptat ſibi tamquam auctori gratias agi. Si autem ſit finis voti ſolius ordinati ac ſolam ejus finis indifferentis aſſecutionem; quamvis hic finis ſit omnino indifferens, & proinde ſi rem promiſſam afficeret, irritaret votum; at non irritat, quando eſt finis ſolius voti. Quia tunc cum res promiſſa non afficiatur eo fine, utpote qui non eſt ejus finis, manet bona, ac legitima voti materia. Nec intendendo fines indifferentes obtineri à Deo, detrahitur aliquid divinæ bonitati; ſicut quando finis eſt malus, detrahitur. Quia illorum indifferentium verus eſt auctor Deus; cum bona quædam naturalia ſint, nullaque malitia morali affecta. Tandem idem prorſus dicendum eſt, quando votum ordinatur ad tes temporales aſſequendas, ſiſtens in illis, nec dirigendo eas ad aliquem finem honeſtum. Quia cum tunc ſint res indifferentes, finis erit indifferens. Ac proinde eadem diſtinctione reſpondendum eſt, ac quando res indifferens eſt finis rei promiſſæ, vel voti. Quare doctores relati *n. 23.* dicentes finem indifferentem non reddere irritum votum rei bonæ, intelligendi ſunt juxta præmiſſam diſtinctionem. Nec eſt verum, quod Doctores *n. 24.* relati dicunt, nempe, ex eo quòd vouens intendat hæc bona à Deo obtinere, intendit fateri Deum eorum auctorem eſſe. Tunc enim finis eſſet optimus, ac proinde, quamvis ille ſolus eſſet finis rei promiſſæ, valeret votum. At quando hoc non intendit, ſed in ſolis rebus temporalibus à Deo obtinendis ſiſtit, ad nullum alium honeſtum finem eas dirigens, manent indifferentes, ac proinde judicandum eſt, ſicut quando finis eſt indifferens.

26 Atque idem dicendum eſt de ſolemni religionis profeſſione. Sicut enim redditur irrita ex malo rei promiſſæ fine, ut diximus *c. præcedenti n. 14.* ſic quoque, quando finis ipſius eſt ſola res indifferens. Quia ſicut non acceptatur à Deo res votis illis promiſſa, quando ex fine redditur mala: ita, nec quando ex fine redditur indifferens; ac proinde, nec à prælato, qui nomine Dei acceptat.

27 Eſſetque veniale ob finem indifferentem vouere. Sicut *num. quarto* diximus eſſe veniale rem indifferentem vouere. At profiteri in religione, aut vota biennii Societatis Jeſu emittere, ob finem rei promiſſæ indifferentem, eſſet mortale. Sicut *c. præcedenti n. 15.* diximus eſſe mortale propter finem etiam venialem. Quia utroque caſu redduntur irrita.

28 Communiter tamen, quando in his temporalibus ſiſtitur, non ea intenduntur, tamquam finis rei promiſſæ, ſed tamquam finis ipſius voti, quod vouens emittit, ut eo inclinet Deum ad ea temporalia concedenda. Atque adeò communiter hæc vota ſunt valida; & in dubio ubi de alia intentione non conſtat, ſunt talia judicanda. Et hoc ſive intendatur ea à Deo, ſive aliunde obtineri. Et generaliter quando dubitantur, an finis ſit indifferens: vel ſi conſtet eſſe indifferentem, dubiteturque de modo, quo rem promiſſam afficit, num ſcilicet, ſit finis ipſius, ita votum irritet, an potius ita ut non irritet; judicandum eſt in fa-

vorem

valoris voti. Ut *num. vigeſimo* diximus de dubio, an res promiſſa ſit indifferens. Quod à fortiori in hoc caſu locum habet. Cum conſtet materiam voti eſſe bonam, & legitimam.

29 Quod ſi ex dictis quis inferat, votum non ludendi ob ſolum finem, non faciendæ jacturæ rerum familiarium, ad quem non ludere vovens ordinat, eſſe irritum. Quia non facere eam jacturam eſt finis merè temporalis, & indifferens. Neganda eſt illatio, & dicendum id votum eſſe firmum, quantumvis res promiſſa ad eum ſolùm ordinetur. Ut diximus *libro præcedenti c.* 18. Quià cum prodigè ludendo res familiares expendere, ſit vitioſus prodigalitatis actus; contrarius actus erit virtutis, nempe; non male divitias expendere. Atque proinde hic non ludendi finis eſt optimus.

30 Tandem obſervandum eſt, *Ricardum* 4. *diſt.* 38. *artic.* 1. *quæſt. ſecunda corpore*, dicere hujuſmodi vota pro rebus temporalibus obtinendis, includere implicitam conditionem, ſi illæ obtineantur; ac proinde eis non obtentis, minime obligare votum; nec obligare, donec obtineantur. At quamvis hoc ſit regulariter verum; quia frequentius hæc vota ſub ea conditione intenduntur: atque ita in dubio intentionis judicandum cenſeo ex communiter accidentibus. At non eſt ſufficiens ejus implicitæ conditionis indicium, velle id temporale per illud votum comparare. Quia poteſt quis vovere abſolute, & ſine ulla conditione, ut hac majori liberalitate flectat Deum ad petita ſibi concedenda. Quod optime docuit *Sotus lib.* 7. *de juſtit. quæſt.* 1. *art.* 3. *ad finem corporis*, *verſic. An vero votum*, ubi ait vota hæc abſolute emiſſa obligare, quamvis vovens ſua intentione aſſequendi hæc temporalia fruſtretur. Quod intellige, niſi illa temporalium aſſecutio eſſet finis ſine quo non voventis. Tunc n. deficiente eo fine, antequam votum impleatur; etſi vovens fuerit in mora, ceſſabit obligatio voti. Ut diximus *c.* 2. *nu.* 40. & 44. Deſerviet tamen ad hoc, dicere votum illud non eſſe conditionale, ut non ſit expectandus conditionis eventus; ut obligare incipiat.

CAPUT VIII.

Qaliter votum de operibus contra conſilia, irritum ſit; aut quando finis eſt contra conſilia?

SUMMARIUM.

Quotupliciter aliquo opus conſiliis opponatur? n. 1.
Quot quæſtiones diſputandæ ſint? n. 2.
Votum de oppoſitis contradictorie conſiliis, eſt irritum, n. 3.
An ſit neceſſaria ejus voti commutatio, aut diſpenſatio? n. 4.
Quale peccatum ſit ita vovere? n. 5.
An ſit mortale, inducere aliquem ut juret, vel voveat ſe non ingreſſurum religionem? n. 6.
An valeat votum non ingrediendi religionem, dum in ea regularis obſervantia non viget? n. 7.
An valeat votum contra conſilia, quando vovens eſt ad illa ineptus? n. 8.
An vota religionis, caſtitatis, non ineundi matrimonii, ſint irrita, quando ob lapſus in venerea conſultius eſt voventi matrimonium; aut ſi his votis emiſſis hoc ſuperveniat, ceſſet obligatio? Refertur quædam ſententia, n. 9.
Sententia Auctoris, n. 10.
An hæc vota obligent, quando præceſſerat copula cum fœmina, fide matrimonii data? n. 11.
An præcedentib. hanc fidem cum copula votis his, ceſſet eorum obligatio, ita ut abſque diſpenſatione liceat ad nuptias tranſire; n. 12.
An præcedentibus ſolis ſponſalibus valeant vota caſtitatis, aut ordinis ſacri ſuſcipiendi; n. 13.
An votum non vovendi, vel non niſi cum talibus circumſtantiis, valeat? n. 14.
An valeat emiſſum poſtea abſque illis; n. 15. 16. & 17.
Quid de voto, vel juramento non mutuandi, non fidejubendi; n. 18.
An in clerico valeat juramentum, vel votum non fidejubendi? Et quando ſit illi interdictum fidejubere; n. 19.
Quid de voto, vel juramento non petendæ diſpenſationis, vel relaxationis voti, vel juramenti; & non ea utendi? Refertur quædam ſententia, n. 20. *Et ſententia Auctoris, n.* 21.
Quid de voto non petendæ irritationis; n. 22.
Quid de voto non petendæ diſpenſationis aliorum præceptorum; numero 23.
Quid de voto non petendi hæc abſque cauſa; n. 24.
Quid de voto hæc non petendi ex quavis cauſa legitima; n. 25.
Quid, ſi hæc abſque cauſa legitima peterentur; n. 26.
Quid de voto non petendæ commutationis; n. 27.
An liceat tunc hæc petere in dubio, an ſit juſta cauſa; n. 28.
An poſſit peti hujus diſpenſatio; & poſtea principalis, vel utriuſque ſimul; num. 29. & 30.
An qui vovit ſe non petiturum diſpenſationem, poſſit petere irritationem, vel commutationem, vel è contra; n. 31.
An valeat juramentum homini præſtitum non petendæ relaxationis; num. 32.
An poſſit ab Epiſcopo peti juramenti hujus relaxatio; num. 33.
Quid de voto, vel juramento, ut nullus præter Papam poſſit in eo diſpenſare, vel ab ejus tranſgreſſione abſolvere; vel adeundi Romam ad hæc impetranda? Et an hæc ſint reſervata num. 34.
Et an tunc valeret diſpenſatio, vel abſolutio ab inferiori obtenta; nec eſſet tunc obligatio adeundi Romam? num. 35.
An poſſit priùs hujus juramenti, vel voti diſpenſatio obtineri ab Epiſcopo? num. 36.
An votum non acceptandi Epiſcopatum, vel alia publica munera valeat? num. 37.
An ſuperior religionis, vel quivis prælatus poſſit ad ea acceptanda obligare? num. 18.
An juſſus hic abſque juſta cauſa acceptare, teneatur obedire? num. 39.
Poſt num. 39. *invenies alia ſummaria.*

1 PRæmittendum eſt, opera conſiliis Evangelicis oppoſita eſſe in triplici differentia. Primi generis ſunt, quæ illis opponuntur contradictoriè, ſeu negativè. Ut non eſſe caſtum, non ingredi religionem. Secundi generis ſunt, quæ opponuntur quaſi contrariè, ita cum perfectoribus incompatibilia, ut non includant deſcenſum ad ſtatum imperfectiorem eo, quem tunc vovens habebat. Ut ſervire perpetuò xenodochio, non ſtat cum ingreſſu in religionem; & ingreſſus in religionem laxiorem, non ſtat cum ingreſſu in ſtrictiorem. At neuter ſtatus privat bono perfectiori tunc poſſeſſio. Tertii generis ſunt; quæ ita contrariè opponuntur, ut includant deſcenſum ad ſtatum inferiorem eo quem tunc vovens habebat. Ut ſtatus conjugalis, qui claudit deſcenſum à ſtatu cœlibatus.

2 Quadruplex ergo quæſtio in hoc capite tractanda eſt. Prima de voto rerum primi generis. Secunda de voto rerum ſecundi generis. Tertia de voto rerum tertii generis. Ultima de voto, cujus finis eſt contra conſilia.

3 Quæſtio prima. An valeat votum de rebus contradictoriè, ſeu negativè oppoſitis conſiliis Evangelicis? Prima concluſio ſit. Votum harum rerum eſt omnino irritum; ut votum non ingrediendi religionem, non erogandæ eleemoſynæ. Hæc eſt certiſſima, & ab omnibus admittitur, dempto *Hoſtienſi* qui *in ſumma titulo de voto*, *numero tertio*, *in fine*, ait votum non ingrediendi religionem eſſe temerarium, at valere. Sed ratio noſtræ concluſionis eſt. Quia hæc nulla bonitate morali afficiuntur, ut proinde legitima voti voti materia eſſe non poſſint. Item, quia etſi integrum ſit, cuiuis ea perfectionis conſilia non amplecti; at non eſt integrum, ſe voti ad ea non ſeruanda obligatione adſtringere; eam enim Deus non acceptat.

4 Quare nulla opus eſt commutatione, aut diſpenſatione, ad contraveniendum huic voto. Quia defectu materiæ eſt penitus nullum. Atque ita contra aliquos in ſimili defendimus de juramento facto Deo contra conſilia, *libro præcedenti, capite nono, numero undecimo*.

5 Secunda concluſio. Vota ejuſmodi emittere, eſt culpa communiter venialis. Quia ſunt vana, & debita materia deſtituuntur. Quia tamen res non eſt adeò gravis, non excedit culpam venialem. Ita docent *Cajet.* 2. 2. *q.* 88. *art.* 2. *dub.* 3. & *in ſumma*, *verb. Votum c.* 2. *paulò poſt principium; ubi Armilla num.* 1. *Sotus lib.* 7. *de juſtit. quæſt.* 1. *art.* 3. *dub.* 2. *circa* 5. *concluſionem*, *verſicul. Supereſt autem*, *Navarr. ſumma c.* 12. *num.* 29. & 35. *Covarr. de pact.* 1. *p.* §. 6. *num.* 7. *Aragon.* 2. 2. *quæſt.* 88. *art.* 2. *dubio* 2. *circa* 5. *concluſionem*, *Valentia* 2. 2. *diſput.* 6. *quæſt.* 6. *puncto* 2. *difficul.* 4. *Azor. lib.* 11. *inſtitutionum moralium c.* 14. *q.* 6. At in quatuor caſibus eſſet mortale. Primus eſt, ſi vouentis animus ſit ſe obligare ad id votum obſervandum, etiam quando conſilium illud obligat ſub mortali. Ut ſi voueret ſe non daturum eleemoſynam cuicumque etiam extremè indigenti. Tunc enim id votum eſſet mortale, ultra mortale propoſitum. eò quòd ille ad rem mortalem ſe obligaret. Ita fatentur omnes Doctores citati. Secundus eſt, ſi quis ſciens ea vota Deo diſplicere, ea Deo nuncupet tamquam iuſi grata. Eſſet enim mortalis blaſphemia, tribuendo Deo, quod ei convenire nequit. Ita *Cajetan.* utroque loco, & *Sotus*. Tertius eſt, ſi in odium, & contemptum religionis fierent hæc vota; quaſi vellet vouens, ut Deus ea acceptet in contemptum conſiliorum. Ita *Sotus & Valentia ibi*. Ultimus eſt, ſi quis ſciens ea vota Deo diſplicere, & animo diſplicendi Deo ea emitteret. Quia hoc eſt directè charitati contrarium. Ita *Cajet. eo art.* 2. *dubio* 3. & *Aragon. ibidem*. Sed *Navarr. eo c.* 12. *num.* 35. limitat, quando animus hujus eſſet ita Deo diſplicere, quemadmodum diſplicent peccantes mortaliter. Secùs ſi animus eſſet in tantum diſplicendi, in quantum diſplicet peccans venialiter. At hanc limitationem non approbo; quamvis enim leve ſit, materialiter eligere, quod Deo venialiter diſplicet. At id eligere animo ſic diſplicendi Deo, eſt grauiſſimum; ac charitati Dei directè contrarium. Et ſic non datur leuitas materiæ.

6 Unde non video, qua ratione ſit verum, quod tradunt *Palud.* 4. *d.* 38. *q.* 1. *ad finem*, *in* 4. *concluſ. in n.* 31. & *D. Anton.* 2. *p. tit.* 11. *c.* 2, *in fine principii* nimisum, peccare mortaliter inducentes aliquem, ut juret, vel voueat ſe non ingreſſurum religionem. Cum enim id vouere ſit ſolùm veniale; eam culpam non excedet inducens. At erit vera prædicta ſent. in caſibus *num. præced.* relatis, in quibus id vouere eſſet mortale. Item in caſu, in quo retrahere ab ingreſſu eſt mortale. Quod quando ſit dicemus infra.

7 Sunt

7 Sunt tamen limitandæ hæ concluſiones, niſi aliqua cauſa concurreret, efficiens, ut opus, quod ex ſe eſt conſilii, tale non eſſet. Quippe obligaret tunc votum abſtinendi ab eo. Ut valeret votum non ingrediendi aliquam religionem, quamdiu in ea regularis obſervantia non viget. Ita *Navarr. ſumm. c.* 12. *num.* 36. Hoc tamen intelligitur, quando omnibus illis religionis defectibus, ac ſeculi occaſionibus ſpectatis, prudenter judicaretur fore, ut vovens meliùs ſerviret Deo in ſæculo.

8 Hinc deducitur primò, ſi quiſquam ratione alicujus particularis circumſtantiæ ineptus eſſet ad conſilia divina exequenda, licitum eſſe in eo, & validum votum contra conſilia. Ut ſi quiſpiam ea ſe indole præditum atque ita propriæ voluntatis, & judicii affectatorem eſſe noſſet, aut ita levem, & inconſtantem, vitiiſque deditum, ut viri prudentes illi conſultiùs eſſe judicarent, ne ad ſacros ordines, aut religionem aſcenderet; validum eſſet votum non aſcendendi ad hec, tamdiuque illo obligaretur, quamdiu ineptitudo hec duraret. Similiter ſi quis gratia ingentis parentum neceſſitatis ſublevandæ eis neceſſarius eſſet, validè voveret ſe non fore religioſum durante ea neceſſitate. Eadem ratione valeret votum abſtinendi à jejunio voluntario, quòd excellentia charitatis opera impediret. Similiter irregularis vovens ſe ad ſacros ordines non promovendum, teneretur voto, durante irregularitate. Ratio horum eſt, quia in his caſibus non eſt votum contra conſilia; imò ſaluberrimum conſilium his eſt, ſervare materiam illam voto promiſſam. Et ideò (ut dicemus *numero* 53.) valet votum ineundi matrimonii in homine illecebris carnis dediuo. Quia attenta illius peculiari fragilitate ſalubrius fore judicatur matrimonium iniri, quàm in ſtatu celibatus permanere. Et in hoc ſenſu intelligendus eſt *Sotus libro* 7. *de juſtit. quæſtione prima artic.* 3. *dubio ſecundo circa* 5. *concluſ. verſ. Sed arguis* ubi ait ineptum ad religionem peccare vovendo ſe illam non ingreſſurum. Quia ſi ſimpliciter impotens ſit, vanum eſt votum. Si verò quouis modo ſperat fore ut ſit potens, iniquè agit. Sed hoc intelligendum eſt, quando ita promitteret, ut ſe obligaret etiam ceſſante illo impedimento ad non ingrediendum. Quia hoc eſſet contra conſilium, ac proinde id votum eſſet illicitum, & irritum. At obligare ſe propter id impedimentum ad non ingrediendum, eſt licitum, & validum Quia id votum intelligitur eo impedimento durante, quo ſublato ceſſat.

9 Secundò hinc deduci videtur, votum religionis, aut caſtitatis, aut non ineundi matrimonii, fore irrita in illis, quibus ſalubrius judicatur fore, ut matrimonium ob incontinentiam ineant. Et poteſt id perſuaderi. Quia votum ineundi matrimonii eſt in his validum, (ut dicemus *numer.* 53.) eò quòd ſit de meliori bono, reſpectu illius vouentis. Ergo prædicta vota huic contraria ſunt de minori bono reſpectu vouentis, ac proinde irrita. Duæ enim res contradictoriæ nequeunt in eodem legitima voti materia eſſe, & pro eodem tempore. Et ita videtur ſupponere *Valentia* 2. 2. *diſp.* 6. *quæſt.* 6. *puncto* 2. *difficult.* 4. *column. penult. verſic. Ad confirmationem*. Et tenet expreſsè *Petrus de Ledeſma* 2. *tomo ſummæ*, *tract.* 10. *c.* 2. *dub.* 5. Addit tamen teneri hunc impetrare diſpenſationem. Quod non intelligo. Si enim votum eſt irritum, non eget diſpenſatione, & ſi eget, non eſt irritum. Et hinc rurſus poſſet inferri, tria hæc vota emiſſa ab hoc ante eam incontinentiam, non obligare ea ſuperueniente, ſed huic tunc integrum fore abſque diſpenſatione ulla matrimonium inire. Quia quando vouenti conſtat aliquid ſibi eſſe melius quàm materiam à ſe promiſſam, poteſt propria auctoritate in id commutare. At huic conſtat ſalubrius fore illi matrimonium. Secundò, quia (ut diximus *c.* 23. & 24.) quod ante emiſſum votum efficit, ut res promiſſa ſit inepta voti materia, ſi eo emiſſo ſuperveniat, tollit voti obligationem. Si ergo hec ante emiſſa hæc vota contingentia, irritarent illa, tollent quoque eorum obligationem ſuperuenientia.

10 Fateor argumenta hæc fortiſſima eſſe, & ſpeculativè perſuadere intentum. At practicè neutrum aſſerere auderem, ſed dicendum eſt valere ea vota emiſſa ab eam incontinentiam patiente: & à fortiori quando illis emiſſis hæc ſuperuenit, non ceſſare eorum obligationem. Ducor, quia oppoſitum aſſerere video eſſe contra communem Eccleſiæ uſum: quantumuis enim quis carnis illecebris vexetur, & incontinens ſit, ſi voto caſtitatis ſe deuinciat, aut antea deuinxerit, ſolet à Pontifice diſpenſationem impetrare, nec illi conceditur, niſi rigidiſſima commutatione injuncta. Nec credo virum aliquem doctum, & pium auſum fuiſſe hunc ab ea obligatione eximere. Quare contrariis argumentis reſpondendum cenſeo cum *Valentia* allegato *in numero præcedenti*, voventem hæc vota poſſe bifariam conſiderari. Priori modo, ut eſt ſingularis perſona perinde ac ſi ipſe ſolus, vel cum aliis paucis eſſet in mundo. Poſteriori modo, ut pars eſt, & membrum communitatis Eccleſiæ; atque adeò, ut bonum, vel malum Eccleſiæ, eſt bonum, vel malum ipſius. Quamvis ergo huic, ut ſingulari perſonæ ſit melius, iis votis minimè ſervatis ad nuptias tranſire. At ipſemet, ut parti communitatis Eccleſiæ, atque adeò omnibus conſideratis melius eſt, gratiſque Deo, ut quamdiu ſuperior cum eo non diſpenſat, cenſeatur iis votis adſtrictus. Quippe plurima mala, & ſcandala in Eccleſiæ communitate futura eſſent, quæ proinde in quemlibet tamquam Eccleſiæ patrem redundarent, ſi unuſquiſque ſuo judicio poſſet ob incontinentiam his votis neglectis ad matrimonium tranſire. Quippe depravata cupiditas plurimos falleret, falsò exiſtimantes ſe continere non poſſe. Atque ita plurima materia, & egregia opera, Eccleſiæque utiliſſima impedirentur. Atque ob horum votorum maximam dignitatem, ut irrita cenſeantur, eorumve obligatio ceſſet, oportet præſtantius eſſe voventi contrarium, non tantùm, ut ſingulari perſonæ, ſed ut parti communitatis. Et in his votis eſt verum, quod ait *Major. in* 4. *d.* 38. *quæſt.* 1. *col.* 2. nempe, non oportere materiam voti eſſe voventi meliorem, ſed ſat eſſe, ut ſit in ſe melior. Atque aptum hujus ſimile eſt, quod attuli *lib.* 9. *de matrimon. diſp.* 17. *num.* 15. ubi latè probavi voluntariam ſeminis effuſionem nulla umquam cauſa honeſtari poſſe, eò quòd ex ea honeſtata ob aliquam cauſam bono alicujus privati utilis valde ingentia toti communitati damna ſequerentur, aperiretur enim oſtium incontinentiæ, proclivitateque ad illam homines obcæcati, facilè exiſtimarent adeſſe cauſam ſeminis licitè effundendi.

11 At fatendum eſt, præcedenti aliquo fortiori vinculo vota hæc non omnino obligare. Ut ſi quis fide matrimonii data virginem defloraret, aut mulierem bonæ famæ cognoſceret, ſi poſtea ſe voto caſtitatis, aut religionis devinciret, vota hæc non uſquequaque obligarent, ſed his non obſtantibus teneretur inire, ac conſummare matrimonium. Quamvis teneretur mortua uxore, aut juſta divortii cauſa exiſtente, ad religionem tranſire. Inſuper ſi fuerat votum caſtitatis, teneretur illud ex parte ſua ſervare, nempe, non petendo debitum, & abſtinendo a quocumque alio concubitu, & non redendo quandocumque juſta divortii perpetui cauſa fuerit. Ratio autem eſt, quia votum ſuperveniens nequit priorem juſtitiæ obligationem extinguere. Nec matrimonio inito, & nondum conſummato, licitus eſt in hoc caſu tranſitus ad religionem. Quæ probavi *lib.* 1. *de matrimon. diſput.* 44. *per totam*, *juncto lib.* 8. *diſp.* 36. *à numero* 8. *uſque in finem*.

12 Imò, ſi hæc vota præcederent, liceret abſque diſpenſatione aliqua in prædicto caſu, manente obligatione eorum modo explicato in *n. præcedenti*, ad nuptias tranſire, quando fœmina illa horum votorum ignara erat, & magnam famæ jacturam pateretur matrimonio non ſecuto. Ut contra alios probavi *l.* 1. *de matrim. diſp.* 45. *à n.* 3.

13 Quando autem ſola ſponſalia præceſſiſſent, ſatis probabile eſt, poſſe votum caſtitatis, aut ordinis ſacri ſuſcipiendi emitti; per illudque dirimi ſponſalia; quamvis probabilius ſit oppoſitum. Ut latè diſputavi *lib.* 1. *de matr. diſp.* 46, & 47.

14 Tertiò deducitur, quamvis votum, vel juramentum non vouendi, ſit irritum: quia vouere eſt conſilii Evangelici, atque religionis actus. Si tamen ad vouendi facilitatem, & ſcrupulos, aut alia peccata inde conſurgentia cavenda, quiſpiam voueret ſe numquam voturum, niſi ſcripto, aut coram aliquibus perſonis, aut abſque confeſſoris conſilio, vel aliis circumſtantiis, valeret votum. Quia facilè, & imprudenter vouere non eſt conſilii, & melius eſt, ſic prudenter ſe voto obligare. Et ita docent *Ricardus* 4. *diſtinct.* 38. *art.* 2. *quæſt.* 3. *Angelus verbo Votum* 3. *numero* 4. *Sylveſt. verbo. Votum* 2. *quæſt.* 7. *Sotus lib.* 7. *de juſt. quæſt.* 1. *art.* 3. *dubio* 2. *circa* 5. *concluſionem verſic. Ex his ſit*, *Aragon.* 2. 2. *quæſtione* 88. *art.* 2. *dubio* 2. *circa* 5. *concluſionem*, *in prima concluſione*, *Azor. l.* 11. *inſtitut. moral. c.* 14. *quæſt.* 6. *Manuel.* 2. *tom. ſummæ. c.* 94. *n.* 13. *Petrus de Ledeſ.* 2. *tom. ſumm.*, *tract.* 10. *c.* 2. *dub.* 5.

15 Quod, ſi hujus voti memor hic aliud votum non ſervatis prædicti circumſtantiis emittat fatentur omnes prædicti Auctores votum fore validum: peccare tamen hunc tamquam prioris voti liciti tranſgreſſorem. Quia votum prius non aufert poteſtatem ſe eo non ſervato obligandi validè. Poteſt enim materia poſterioris voti eſſe licita, & honeſta, nec vitio fractionis poſterioris voti contaminatur. Atque id peccatum eſſe lethale affirmant *Angelus*, & *Sylv. num. præcedenti* allegati. At reliqui non explicant, quale peccatum ſit, ſed *Aragon.* dixit eſſe grave peccatum. Sed dicendum eſt, non ſemper eſſe mortale, ſed quando maximè expediret ſaluti vouentis non vouere abſq; illis circumſtantiis. Quia in alio caſu cenſetur materia leuis, ac proinde tranſgreſſio venialis.

16 Quare non aſſentior aliquibus Neotericis dicentibus, hoc poſterius votum abſque illis circumſtantiis emiſſum fore irritum, quando ob vehementes ſcrupulos conſultius eſſet illi non vouere abſque prædictis circumſtantiis, quàm vouere. Quia tunc votum eſt de minori bono. Sed ſi hæc ratio eſſet alicujus momenti, probaret omne votum abſq; matura deliberatione emiſſum eſſe irritum. Quia cum ſic vouens peccet, melius eſt illi non vouere, quam ita vouere. Præterea, quia votum ob finem mortalem non rei promiſſæ; ſed ſolius voti, valet. (Ut diximus *c.* 6. *num.* 13.) Cum tamen melius eſſet non vouere. Quippe ſic vouere eſt culpa mortalis. Quare (ut diximus *c.* 1. *num.* 9.) ſatis eſt valori voti, ut materia ipſius ſit melius bonum, etſi ratione modi vouendi melius ſit non vouere, quàm ſic vouere.

17 Major autem difficultas eſt, quando ille immemor prioris voti, poſterius hoc emiſit abſque prædictis circumſtantiis. In quo euentu non videntur loqui Doctores *num.*